DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA
INAUGURALIS,
DE

LACTIS DEFECTU,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

EWALDI HOLLEBEEK,
THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS IN
ACAD. LUGD. BAT. ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JOANNES GUILIELMUS THORVARTH,
RIGA-LIVONUS.

Ad diem 24. *Februarii* MDCCLXIV. *H. L. Q. S.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK, 1764.

Naturam humani, uti alius cujusque corporis naturalis ſemel a Deo in motum conſtituti, conſiſtere arbitror „ in mechanico & hydroſtatico ſolidarum fluidarumque partium „ diverſiſſimarum artificio, & ſingulis particulis impreſſo „ niſu, motu, & directione, earumdemque proportione „ tum inter ſe, tum ad ceteras naturae univerſi partes, a „ quibus vel intrinſecus, vel extrinſecus, afficiuntur.

P. G. Werlhof,
Obſ. de Febribus. p. 311.

DEO T. O. M.

PATRI,

PRAECEPTORIBUS,

PATRONIS,


ATQUE

AMICIS,

SACRUM.



DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA INAUGURALIS, DE LACTIS DEFECTU.



§. I.



economiae corporis humani muliebris consentaneum eſt, partum non edere modo maturum; ſed lactis etiam, in mammis parati, alimento, animalis inſtar vivipari, nutrire. Utrumque hoc munus, quod naturali quodam nexu cohaeret, matris & nomen, & amor in prolem tenellam, complectitur. Primo, eique graviori, ſuccedit brevi alterum,

terum, quod tantum abeſt, ut moleſtiam creet, ut pergratum plerumque accidat. Immo, ſi rite procedat opus, ad ſanitatis, a partu magis minusve infractae, reſtaurationem cum maxime pertinet. Sed, quod amabili cum ſexu doleas, eximia illa mammarum functio, perinde ac quaevis aliarum partium, multiplici ſaepe modo laedi ſolet. Obſervatur enim quotidie, vel juſto citius *imminui*, vel plane *intercipi*, vel contra *augeri* nimium, vel pervarie *vitiari*. Quod ſi imminuta eſt, lac non ea generatur copia, quae alendo probe infanti ſufficiat. Intercepta, vel abolita, ejus ſe defectu prodit, mammis, vel ſanis ceterum, vel male affectis, plane feriantibus. Aucta, quae dicitur, tantum lactis, elargitur, ut nec uberiori ſuctione exhauriri queat. Atque vitiata demum Medicis ad depravatam ſucci illius indolem, vel qualitates morboſas, refertur.

Quibus conſideratis, operae pretium mihi viſum fuit, *Lactis defectum* hoc in ſpecimine inaugurali ſpeciatim proſequi. Quod dum Eruditorum, quos inter Praeceptores meos, Academiae hujus Profeſſores Medicinae celeberrimos, maxime veneror, examini ſubjicio; benignam defectus virium ingenii in tractanda hac materie momentoſa excuſationem vehementer rogo.

§. II.

Lactis defectus, generatim ſi ſpectetur, in *naturalem* ac *praeternaturalem* principio dividi poteſt. Naturalis, quae ſanitatis optimae complexu continetur, in quavis femina, vel virgine, vel muliercula, non puerpera, locum habet.

Prae-

Praeternaturalis vero affectio quaedam morbosa est, qua, definito lactatus tempore, mammae, officio suo defungi, impediuntur. Prior quidem an recte defectus dici queat, vulgarem hujus vocis significationem si sequaris, fortasse dubites. Videtur enim, cum non adsit, qui lacteat, infans, nulla lactis penuria esse statuenda. Verum quod ad rem attinet; haec, arbitror, cuique, a Theoria instructo medica, clare oppido patet. Namque Naturae lex docet, mammas dictas femineas, puerperio non praegresso, Galactopoiesin sponte obire nunquam. Posterior, qui occurrit, lactis defectus, praeternaturalis ac verus, nomine suo vulgo constat. Manifestum est, quod, habita matris & infantis ratione, tum ad secretionem humoris illius, tum evacuationem secreti, impeditam revocari possit. De utraque ejus specie, quam Pathologia medicinalis tradit, ex instituto jam agere aggredior.

§. III.

Verus lactis defectus, generalissime descriptus (§. II.), mulierculis contingit, quae lactandi provinciam obtinent. Ad quam ineundam, aliae citius, tardius paullo aliae, accedunt. Quae aliquoties ei operam dedere, intra quatuor & viginta horas post partum, saepe jam mammis suis lacteo humore scatent. Primiparae autem, tam juniores, quam adultiores, pluresque, tertio quartove demum die lactantis partes implere valent. Illaeque tunc primo lympham quandam edunt chylosam, quam *Colostrum* vocant. Quo educto, genuinum atque alibile lac, quod colore & sapore se plurimum

mum commendat, jugiter producunt. Id ipſum dein, ſi recte valent, producere pergunt, donec infantes ſuos, ſolidiori victu uti aptos, a mammis disjungere queant. Atque *periodus* haec *lactationis* eſt, quae, communi experientia teſte, brevius longiusve per tempus ſaepenumero excurrit. Solet enim alias novem menſibus circumſcribi, & ad quindecim, ſexdecim, viginti, ac plures usque alias, extendi. In genere quidem lactentium aetate, qua, eruptis dentibus, craſſiorum ciborum appetitus emergit, quam optime definitur. Enimvero aetas illa haud adeo conſtat omnibus, quin variam in anni ſecundi partem, poſt primam ſextam, quintam, vel quartam, incidat. De qua notandum, quod infantilis corporis robori tantum reſpondeat, quo felicius creſcente, functionum naturalium vigor maturius effloreſcit. Ex quibus apparet, quid de ſiniſtro, quo lactis defectus naſci poſſit, tempore cenſendum ſit. Hoc, perquam memorabile, procul dubio ſtatuta lactationis periodo metiri oportet. Cujus a principio quo minori abeſt intervallo; eo majoris momenti conſiderationem offert Pathologo, qui morbi rationem ſedulo attendat.

§. IV.

Mammae genuini lactis (§ III.), cujus ſolae officinae ſunt, defectum morboſum (§. II.) proxime patiuntur. Poſſunt vel ambae, vel una tantum, dextra nempe, vel ſiniſtra, eo laborare. Utraeque ſi laborent *totalem*; ſi alterutra, *partialem* ſaltim, defectum inducunt. Ubi forte plures exiſtant, ab Obſervatoribus paſſim memoratae, diviſionem

nem eandem, parum mutatam, admittunt. Binae autem, quae ſecundum naturam adſunt ſemper, cur feminino ſexui datae ſint, Anatomici omnis aevi merito disquirunt. Sagaciores ex his tam ob commoditatem, quam uſum neceſſarium, tot datas eſſe, egregie conſentiunt. Etenim debere cognoſcunt mammas ſoboli, recens natae, alimentum proſpicere, ad quod debita copia exhibendum, non facile ſufficere unam, niſi ingens eſſet, mediamque thoracis ſedem occuparet. Ejusmodi praegrandem vero, aucta magnitudine ac mole, praeter deformitatem, maximum femellis incommodum allaturam. Idcirco eas duabus eſſe minutioribus praeditas, quae, utrique pectoris lateri eleganter adjectae, extus modice emineant, lactisque tantum, quantum nutriendo foetui ſatis, commode generent. Ad haec cum geminae ſint, fieri, ut, una modo ſi vigeat, haec alterius, morbo afflictae, vicem ſupplere poſſit. Qui uſus utique, non ſpernendus, praeſertim ſi noxius valde lactis defectus reſpiciatur, plurimum momenti habet. Partialis enim perſaepe accidit, ut tamen infantulus nihil, vel parum, detrimenti inde percipiat. Mammilla ſana tunc praeclare adeo res gerit ſuas, ut vix ſocia deſideretur. Quid? quod ſola illa obſervetur ſubinde plus ſolito gignere lactis, eoque metuendam alias jacturam abunde compenſare. Hinc matres nutricesque reperiuntur, quae vel gemellos vegetos unius largioris mammae beneficio ubertim lactare queant. Ad eam, obſtructa altera, vel male conformata, mechanica quadam ex neceſſitate materiam lactis confluere, crederes.

§. V.

Lactis defectus, in universum spectatus, unde & quomodo oriatur, ordine jam investigandum est. Disquisitio haec pathologica, ut liquet, celebri illa de Galactopoiesi doctrina maximam partem nititur. Ea inter plures, quae ad oeconomiam animalem pertinent, Physiologorum animos & tenet diu, & exercet. Principia ejus, quae circa naturam proxime versari videtur, generaliora dictant:

I°. Inesse semper eo, quo lac paratur, tempore (§. III.) mammis majorem, quam ante, actuositatem;
II°. Consistere hanc tum in vasorum, tum fluidorum, isthaec percurrentium, motu auctiori;
III°. Utrorumque motum mirifice conspirare, & mutuo veluti impetu, probe modificato, vigere;
IV°. Priorem vasorum actionem ab insita procul dubio vi vitali manare, eique excitatae fortius continuo respondere;
V°. Illam excitari opportuna systematis mammarum arteriosi praesertim irritatione, a stimulo facta materiali, quem fortasse naturalem appelles;
VI°. Actionem, inde natam, necessaria ex circulationis campo allicere fluida ad organa galactopoietica largius permeanda;
VII°. Secernere haec ex iis continuato opere lac, idque
VIII°. Secretum & contentum aliquantisper infanti hauriendum praebere.

§. VI.

§. VI.

Ineunte lactationis periodo (§. III.), mammae actuosae Naturae legi convenienter, munus suum capessunt. Editus tunc recens foetus est, cui nutrimentum, quo tenellus indiget, liquidum & concoctu facile perficiant. Solent equidem, fateor, jam gravidis, ultimo potissimum gestationis mense, ab affluentibus copiosius humoribus adeo turgere, ut valde durescant. Verumtamen, si bene constitutae sint, distentae licet, a solemni lactis secretione vacant. Et quidni provido certe vacant consilio, cum alioquin id, quod utile ac necessarium, uteri incolae detraherent profunderentque. Mammae ergo haud alio rectius ullo, quam statuto, tempore integram functionem suam efficiunt. Ad quam exercendam, actuositatem memoratam (§. V. n. 1.) obtineant, oportet. Quae enim nisi major foret vegetiorque, quam ante & post praegnationem, Galactopoiesi minime fungerentur. Nihil profecto intemeratis deest virgineis, sive structuram spectes organicam, sive energiam illam admirabilem, quam Medici vitalem vocant. Structura quin iis perfecta sit & usui suo accommodata, nemo Anatomicorum facile dubitat. Neque energia deficit vitalis, quae naturalem agendi potestatem, corpori humano propriam, inspiret. Quin immo tanto se praebet valentiorem; quanto meliori in statu sanitatis versatur. Qua, ceteris integris, accedente, virginum mammae, plenum semel nactae habitum, communia vitae florentis officia rectissime colunt. Quam vero haec etiam colant egregie; nihil tamen unquam, quod certo constat, lactis sponte producere possunt. Ad

hoc enim parandum, quo utitur Natura, actuositatis laudatae gradu non gaudent. Quique nec in praegnantibus, ubi multo eminentior evadit, eo adscendere usque solet, ut definitum fastigium attingat. Sana arbitror ratione assequi licet, id esse omnino definitum, quod percipi ceterum sensibus, ac geometrice demonstrari, nequit.

§. VII.

Mammae actuositatem, ad conficiendum lac necessariam (§. VI.), aucto vasorum suorum fluidorumque motu praestant (§. V. n. II.). Artificiosissima organa sunt, quae glandulas inter conglomeratas easque principes referri solent. Anatome enim ostendit, quod ex innumerabilibus, in unam massam spectabilem, corpus mammae dictam, collectis colligatisque acinis glandulosis constent. Omnes hi & singuli, dedita examinati opera, arteriarum venarumque, mirabili inter se convolutarum modo, congeries esse videntur. Pauci & exiles se iis commiscent surculi nervei, interseritque substantia tenuis fibrosa, ad subtilem conglomerationis nexum perficiendum. Mammae jam sic natae sunt, ut, quantum actuositate, tantum vasculosa fabrica polleant. Etenim haec vere sola est, quae, ut similis quaeque alterius glandulae, visceris &c. omnem actionem organicam complectatur. Eamque, quae viribus maxime excellit, pars arteriosa perenni suo, humorumque influentium, motu proxime edit. Proinde cum hic increscit, universam, quam constituit, mammarum actuositatem protinus auget. Non dubitandum, quin extra lactationis periodum

riodum (§. III.) cunctis, quae circulationi Harveanae praesint, vasis majoribus minoribusque insit. Namque sensibilibus, quos parit, vigoris, nutritionis, caloris &c. effectibus se reddit nobis manifestum. Minime autem credibile, quod tam acriter ibi eo tempore procedat, quam quo lactis fit generatio. Neque, quod aequali vi per minima, quae ei inserviunt, vascula sese diffundat. Fallor, ni his prope vel absit, vel exilior modo, qui ad integritatem servandam spectet, contingat.

§. VIII.

Ad mammarum lactantium actuositatem rite efficiendam enarratus vasorum fluidorumque motus mirifice conspirat (§. V. n. III.). Alter sequitur alterum, mutuaque incitatione, eximie temperata, veluti alit. Prior, qui arteriarum est, singulari lege regi videtur, qua semper praecedat. Aggreditur proxime, efficaci Naturae impulsu, opus, quod vicarium uteri non inscite appellant. Ubi primum provenit, in appulsos communi via humores continuo ruit. Citatiorique cum incessat gradu (§. VII.), pro re nata eos acrius oppido propellit agitatque. Mobiles illi, licet inertes sint, majori vi sibi illata, volvi se facile patiuntur. Nihil si moretur, vividiori etiam, quae ei respondet, celeritate, secundum obviam sibi directionem, currunt. Sed neminem fore, qui existimet, arbitror, quod uno pulsu temporisque momento per totum mammae corpus agantur. Non enim ex truncis arteriarum in ramos quosque remotiores, nisi successiva & legitime propagata earum systole,

pro-

protrudi possunt. Cui ut cedant commode, mole sua pressi, omnibus illis, quibus vehuntur, canalibus diastolen inducere debent. Quam, velut reactionis speciem physice consideratam, systoles actioni aequalem produci, ratio evincit. Apparet hinc in genere, qui memorabilis vasorum fluidorumque motus, quem lactantium mammae obtinent, mirabiliter conspiret. Equidem nisi perfecte conspiraret, assiduam iis actuositatem conciliare non posset. Ubi enim quam labem alteruter contrahat, qua obsequi impediatur, uterque, statim male cedens, functionem naturalem pervertit. Ad quam debite administrandam concors motus quoque modificato probe impetu viget. Manifestum est, quod eo reapse solo laudabilem actionis sanae formam tueatur. Potest, addito acriori stimulo, nimium intendi, ut lactis officinam potius destruat, quam actuosam servet & incolumem. Violentior ejusmodi, suppressis mensibus ortus, proximane sanguinis, e mammis quandoque, teste Observatorum (*a*) nube, fusi caussa? Num quaeso alia sit ejus, ex strictioribus iratae papillis (*b*) excreti? Contra cum, quocunque velis, fato cessat, Galactopoiesin omnem sisti, res ipsa loquitur. Nihil attinet hic, plures enumerare mutationes sinistras, quas motus memoratus quandoque concipit. Animadvertere solummodo est, ejus rationem, ceterum absconditam, ita comparatam esse, ut in felici mammarum ministerio moderatum semper impetum sequatur.

§. IX.

(*a*) Quorum principes recensuerunt D. G. Franck. *de Franckenau* Satyr. XV. §. 59. Ill. Hallerus in H. Boerhaave Prael. Acad. Tom. V. P. II. p. 88.

(*b*) C. S. van der Wiel Obs. LXXIX.

§. IX.

Actio, mammarum propria, ab innumerabilium, quae per eas se diffundunt, arteriarum (§. VII.) viribus motricibus praecipue pendet. Hae, pro vigore suo singulari (§. VIII.), allata propellunt fluida usibusque necessariis adhibent. Liquet haud dubie, quod si etiam plures, quae momenti quid afferant, adsint, illae cum primis ad elaborandum lac pertineant (§. VII.). Neque recte unquam suas agant partes, nisi constitutum juxta *actuositatis* justae *regimen* sese gerant. Cui uti parent perfecte; ita conceptum eo impetum, praeclare modificatum (§. VIII.), constantissime edunt. Atque, quod forte mireris, edunt perinde, tanquam regimine illo *peculiari*, tantum non solo, continerentur. Namque parum abest, quin a *communi*, quod plurimas Microcosmi partes amplectitur, abhorrere omnino dici possint. Amplissimum illud, cui principatum merito tribuunt Medici, cor & systema arteriosum tenent. Haec enim vivido, quo micant, motu continuatoque quaquaversum, divisis veluti rivulis, deducunt humores, cunctas vitae functiones solemnes moderantur. Cum, quoad valent, se semper praestent actuosa; tum cursum etiam illarum aequabilem reddunt ac perennem. Sed, quam longe lateque extendant, supremam potestatem suam ad mammas usque non, nisi determinato valde modo, propagant. Etenim vigent persaepe optime, & optimo quoque sanguine redundant (ut solent certe haud raro in virginibus, tum juvenibus, tum adultis, solitae menstruationis

annos egreſſis, infoecundis, viris &c.), & glandulas tamen illas ad lac gignendum excitare nequeunt. Immo nepoſſunt quidem, ſi vel contentiori motu animali, rerumque aromaticarum & ſpirituoſarum uſu praevalidam agendi vim nactae ſint. Quam enim dum more ſuo libere exercent, univerſam circulationem, quam vocant, ad majorem celeritatem aequabiliter perducunt. Et profecto, adhibitis bene ſenſibus, quovis die obſerventur, tam aequabiliter, quam in calore febrili, perducere. Nec augere non quaslibet ſimul, quibus praeſint, oeconomiae animalis actiones. Ut vero ad lactis geneſin operam conferant; oportet praevia mammas actuoſitas ſubierit (§. VI.). Quae, comparatione quadam ut pateat, eam, qua obortus moeror gravis, aliusve animi affectus, innominatis exprimit e glandulis lacrimas, imitetur. Non dubium eſt, quin perinde, ac quaevis alterius partis corporis humani vivi, emergat. Scilicet latet, quaſi ſopita, in vi ſic dicta vitali, qua mammillarum arteriae, aliarum inſtar ſui generis, praeſertim perfuſae ſunt (§. V. n. IV.). Eaque dum turgent pollentque plurimum, ſaniſſimae naturalem ſibi & maxime commodam quietem affectant. Cave autem credas, quod in hoc quietis ſtatu, vel inertes plane deſideant, vel communem modo corporum obtineant mobilitatem. Paratiſſimae omnes ad ſuſcipiendum motum, ſi bene cieantur, ſuſcipiunt hunc ſine mora & diffundunt. Eoque exſerere majorem ſolent, quo cientur fortius, vel affici ſe acutioris ſenſus ſpecie percipiunt. Qua ergo ſanitatis rationi accommodata attemperataque cauſſa ciente, aequum virium motricium citarum impetum induunt.

§. X.

§. X.

Peculiare actuositatis regimen (§. IX.) in lactis generatione tam clare elucet, ut haud facile ulli, qui attenderit, obscurum esse queat. Distinguit se evidenter a generali actionum triplicium administratione, non origine tantum, sed duratione etiam & fine. Mammarum igitur systema, quod maxime ei patet, arteriosum singulari ad agendum vi incitari, sponte cognoscitur (§. IX.). Vis isthaec, proximo ab effectu deducto, nomine *stimulatricis* appellari potest. Quod si, quam variis a locis caussisque manet, spectetur, multiplex sane occurrit. Interna, quae primo memoranda, vacuo ex utero, sanguinis menstrui evacuationem morante, existit. Observatum enim est (*c*), fuisse virgines, quae, mensibus tantum retentis, magnam lactis copiam in mammas receperint. Suspicione graviditatis tectae, aliquamdiu sustenta, intaminatas, apertis sponte vasculis uterinis reddito, absque ullo abortus, vel partus, indicio, lunari tributo se exsolvisse. Mulierculis porro, uterum gerentibus, mammillas tumescere & humorem quandoque fundere lacteum, inter omnes constat. Puerperis dein verum lac ingenerare, praeter ea, quae tradita sunt (§. III.), vulgaris quemque edocet experientia. Adde demum, compertum esse (*d*), quod femina praegnans

(*c*) J. Schenck Obs. L. II. Obs. 289. Chr. Vega in Comm. ad Hipp. Aph. 39. S. V. Rod. a Castro Med. Polit. L. IV. C. 12.

(*d*) Erud. L. Bikker in Tract. belg. qui inscribitur, Verhandeling van het Zog der Vrouwen. p. 78.

gnans visa, elapsis decem mensibus, massam quandam carnis, vel molam forte, ediderit. Cujus post ejectionem, & sanguinis fluxus, menstruo quantitate aequalis, lochiorum loco, & stato tempore lactis acciderit proventus. Hic jam uti interna, ita quoque externa, vi stimulatrice fieri posse scitur. Ad quam, quae primaria est, &, docente Natura, infantibus, vix dum sui consciis, nota *Suctio* referri meretur. Admiranda fateor, qui inexspectatam ejus efficaciam experti sint, hominum exempla habentur. Virgines integerrimas, suctis aliquamdiu ab infantibus mammis, lactantium induisse habitum, Historia medica nobis tradit (*e*). Quin vetulis etiam, quibus ob grandiorem aetatem menses diu suppressae, solo puerorum suctu lac ad mammillas devenisse, tam copiosum, quo eos ad annum alerent, notatur. (*f*). Verum nec desunt, rariores licet, observationes de viris ipsis, qui pariter ac nutrices lactandi munere perfuncti sint (*g*). In Russia plerosque lac mammis continere, sat saepe multum, nota & apud omnes pervulgata res est. Licet suctioni adjicere lenem ac continuatam organorum galactopoieticorum, & praecipue papillarum, frictionem, pressionem, contrectationem assiduam, fomentationem similiaque plura stimulationum genera. Quae equidem, nisi ad lac parandum, tamen ad provehendum augendumque, quam maxime valent.

§. XI.

(*e*) Phil. Salmuth. Cent. I. Obs. 92. Ephem. Germ. Cur. anno II. Obs. 135.

(*f*) Am. Lusitan. Cent. I. Cur. 47. J. Schenck. L. II. de Mam. Obs. 32. F. Bouchard in Eph. Germ. Cur. anno III. Obs. 10.

(*g*) Alex. Bened. L. III. Anat. C. 4. J. Schenck. L. II. Obs. II.

§. XI.

Traditae summatim, caussae (§. X.) lactis efficientes, consentiente Medicorum schola, remotae appellantur. Inesse iis vim, qua motus vitalis legibus accommodate agant, certis ex effectibus apparet. Primariae illae, quae reputentur, in principe genitalium muliebrium parte, utero nempe, resident. Ea hujus vivi ac sani indoles est, ut factam sibi irritationem, vel in, vel extra se, enatam, veluti animae praesentis actione, continuo percipiat. Observatu oppido mirabile, quam vehementer saepe lusu, vel aestu, imaginationis efferatur. Insomniis femellarum libidinosis eo quandoque solet abripi, ut ovula, ex ovariis soluta, elisisse legatur. Puellis tenerioribus mammae vix contrectari possunt, quin, tanquam ab admoto proxime stimulo, pruriat (*h*). Iisque, quae crebra viris juvenibus consuetudine miscentur, sanguine menstruo etiam crebrius manat. Sed quantane quaeso singularis illa agitatio est, quam ex appetitu & complexu venereo concipit? Quanta ex sola genitalium exteriorum titillatione? Ad quarum instar, Naturae cultores haud amplius dubitant, quin tumeat valde, turgeat, incalescat, exsiliat quasi, omnique se modo ad stimulationis rationem motitet. Ex quibus intelligas, missis aphrodisiacis, nullum forte reperiri organum, cujus, quam uteri, mobilius, sensilius, vel, si dicere mavis, irritabilius ingenium sit. Quocirca ille, praeter recensita incita-

(*h*) H. J. Rega de Sympathia. Cap. XIV.

citamenta, complura admittit, ſuosque quaeque ad uſus convertit. In primo nubilis aetatis, quam pubertatem dicunt, flore tam laete vigeſcit, ut, aucta actuoſitate, congeſtum ſanguinem, bene floridum, ex diductis vaſculorum ſuorum oſculis emittat. Repetit hoc ſingulis menſibus negotium, & ſtatum per annorum ſpatium, ſobolis accommodatum procreationi, continuat. Uno alterove menſtruam ante purgationem die, videtur a ſanguine, ſibi advecto, uberiori extumeſcere, eoque ut liberet ſe, anniti. Hocque majori minorive anniti opera, quo creſcente ſenſim mole perfuſus & onuſtus fortius, vel levius, exſtimuletur. In gravida, primis duobus, vel tribus, a praegnatione menſibus, ejusdem fluidi contenti copia, quam tenellus embryo haud abſumat, magis magisque irritari. Aliquot autem ante partum hebdomadibus (§. VI.), ſtimulis pluribus, ex fabricae, vaſculoſo fibroſae, expanſione ſumma, tenſione, humorum affluentia, partium vicinarum preſſione, & placentae foetusque grandioris adhaeſione incommoda, oriundis affici. Verum enim poſt partum (§. VI.) adeo affici egregie, ut, depoſito onere, tenſam relaxet compagem, diſtractam ſpasmis & percuſſam remittat, vitali paullatim conſtringat arctius arctiusque niſu, arctet, quod prae primis notandum, vaſa, lochiorum fluxum plurimum ſiſtat, ſolitum humorum incurſum reprimat &c. Fieri nequit, ut cunctis his, & quae accedant, mutationibus, absque multiplici & varie modificata irritatione, defungatur. Quamque dum, pro facultatis ſuae intentione, percipit, omnes, oeconomiae ſuae proprios, nec ſatis admirandos, motus praeſtat. Et hi demum ſunt, quibus incitatus uterus, defi-

definitis temporibus, & praefertim ultimis, vim fuam ftimulatricem luculenter probet.

§. XII.

Sed quaeritur jam, quo pacto uterus, diffitas a fe longo intervallo, mammas vi ftimulatrice fua (§. XI.) prae aliis communicet. Quaeftio haec maximi momenti, dudum quidem diuque agitata acriter, at nec dum plane perfoluta, eft. Dubitare licet, an, fi rerum, in quibus verfatur, fubtilitas attento animo penfetur, ingenio humano unquam expediri poffit. Videndum tamen, pro inftituto noftro, quid lucis forte Theoria propofita (§. V.) ad eam illuftrandam adfpergat. Exploratiffimum effe arbitror, quod mammae femininae infigni facultare percipiendi fentiendique, ob quam facillime cieantur, praeditae fint. Oftendunt nobis eam manifefta ratione, qua externae, cui fitu fuo commode patent, actioni (§. X.) aufcultant. Internae, quae ab utero proficifcitur (§. X. XI.), tam parate fubferviunt, ac fi totae ab ejus nutu penderent. Nunquam equidem menftruatio incidit, quam non ante pariter, ac poft, mutata facie fua prae fe ferant. Primae faepenumero conceptionis nuntiae funt, citiusque, quam menfes fuppreffae, apparent. Circa partum una cum utero, & aequo fere gradu, habita diverfae magnitudinis refpectu, intumefcunt. Edito infante, & a matre feparato, neceffitate phyfica, fervitii quadam fpecie, ejus agunt nutrices. Atque tunc, modo partes genitales titillentur, ut libido ardefcat, infurgunt faepe, durefcunt, fplendent, papillas exferunt, &

quan-

quandoque ipfum lac, tanqnam fontes falientes, mittunt. Ex quibus confequi eft, quam mire irritabiles ac obfequiofae mammae partium illarum irritationibus moveantur. Non enim adeo promte aliis fe accommodant internis, vifceribus organisve, a quibus licet fede ac fabrica propius abfint. Quidni igitur jure optimo cum genitalibus, tanquam fociis, intime confpirare dici poffunt? Quidni privatum dici abfolutumque colere commercium? Quod, ex quo obfervatum, Anatomicis philofophis anfam dedit, in nexum partium inquirendi. Veteres, inventis femel venarum epigaftricarum mammariarumque anaftomofibus, veluti detectae veritatis confcientia, acquiefcunt. Pofteriores de arteriis cognominibus, & Neoterici uno fere ore de nervis, loquunrur. Verum, quod dolendum, nemo eorum hactenus, quod fciam, eo pervenit, ut vafa ifthaec, & nervos, ab utero ad mammas folas tranfire, demonftraverit. Vel, quod magis defideres, vaforum illorum nervorumque traditam actionem formae rei explicandae refpondere. Verior hujus cognitio ea modo fequitur, quae Anatome animata partim, partim Theoria medica, de motuum vitalium ortu, progreffu, decurfu ac impetu vario, docent. Quibus pofitis, annuere oportet, uterum inter & mammas exftare commercium, idque ad confenfum fingularem recte referri. Poffe hunc effici, efficique percommode, mutua, qui ex irritatione fibrarum contractilium emicent, motuum (§. XI.) propagatione. Quorum directioni neceffariae moderatricem praeeffe optimam, quam Medici Naturam vocant. Haec rite ut more fuo praefit, neceffum modo effe, partes fint integrae. Quaenam vero harum ad memoratum commercium

cium proxime pertineant, an venae, arteriae, nervi, membranae, vel aliae, haudquaquam patere. Omnes forte communi, ut ſic dicam, ſpiritu fruentes, eoque ſano ſibi deſervientes invicem, uno ſolidorum vivorum nomine, concurrere. Praepoſitis ſenſibus nervis, ceteras ſic genitas eſſe, ut a vi ſtimulatrice determinatos recipere motus, continuare & ad organa noſtra deferre, queant.

§. XIII.

Actuoſitas mammarum, quae in Galactopoieſi verſatur (§. VI.), ex ſtabilito optime conſenſu (§. XII.), ceu fonte primario, redundat. Vires enim motrices, quae in arterioſo illarum ſyſtemate reſident, inde in primis, juſto cum moderamine intus excitatae, emergunt (§. IX.). Solentque ut plurimum ſenſim & ſine ſenſu emergere ullo, ita ut, quando, unde, & ubi cieantur, a feminis percipi nequeat. Gravidis adultioribus, prolis generationi ſerius adhibitis, tantum dolorem quendam, compunctioni ſimilem, & ſponte ac brevi evaneſcentem, ſubinde afferunt. Arteriae jam, viribus intentis, crebriorem validioremque, tum ſyſtolen, tum diaſtolen, ingrediuntur. Canales enim vivi & elaſtici ſunt, qui non patiuntur ſe fortius irritari, quin duplicem in motum illum, veluti oſcillatorium, erumpant. Quemque cum ſuſtinent, humores influentes citatiorem ad curſum ſtatim adigunt, quo largius ſibi proſpiciant. Sed notabile eorum flumen arteriae mammariae non modo in ſe, verum etiam in truncis, a quibus oriuntur, proximis accelerant. Namque continuatae his, communi

D divi-

divifionis lege, actuofitatem fuam (nifi quam forte per confenfum jam inductam credas) facile communicant. Praeterque eam, vel confimilem fere, fola fluidorum fuorum velociori propulfione in ramos inferunt. Quo enim illorum undas in fe rapiunt citius, eo ut fequentes continuo rivo celerius advolvantur, efficiunt. Nihil abeft, quin hac actione ftimuli excurrentis vim, quae alias ad imminutam refiftentiam referri folet, aemulentur. Liquet hinc, non inepte dici poffe, quod ex circulationis campo fluida ad organa alliciant galactopoietica (§. V. n. vi.), vel, ut placet Veteribus noftris, attrahant. Non conftat, quantum fit fpatium, per quod poteftatem fuam alliciendi, vel attrahendi, producant. Videntur faltim minime tantum valere, eam ut ad truncum aortae & cor mufculofum exporrigant (§. IX.). Ex vicinioribus ejus ramis fat trahant humorum, quibus repleant fe & ad lactis confectionem utantur. Iis igitur copiofius invectis, primo & ultimo graviditatis tempore, majorem naturali mammis magnitudinem creant. Qua attente parum confiderata, animum fere tibi inducas, quod futurae actioni illas praeparent.

§. XIV.

Syftema mammarum arteriofum, ducta ex confenfu actuofitate fingulari (§. XII.), veram Galactopoiefeos rationem complectitur. Equidem, aucto inde motu naturali, praeclaram recipit vim humores copiofius alliciendi, ex quibus nectar fuum conficiat. Ingruente lactationis periodo (§. III.), *febris* quaedam accidit, quae *lactea* vulgo vocatur. Haec, fim-

ſimplicioris continuae ſpecies, violenta ex mutatione, quae puerperae etiam poſt partum felicem utplurimum evenit, conſequitur. Incipit levi cum frigore & horrore, brevique in calorem mitem pariter ac humidum tranſit. Quo naſcente & uno alterove durante die, mammillae pleniorem longe, ac ante, habitum induunt. Nimirum collapſae, fluentibus lochiis, erigunt ſe, creſcunt omnem in ambitum, indureſcunt & nimia ſaepe ex tenſione dolent. Sique tunc ſtrenue ſugantur, paratum liquorem lacteum (§. III.) continuo expromunt. Videtur hinc facili ratiocinio inferri poſſe, quod febris illa ad ejus generandi uſum quam maxime ſpectet. Neque ſane dubitandum, quin &, ſecundum Dynamices medicae principia, reapſe multum proficiat. Etenim, moderatiori licet, quo fluida agitat, impetu haec, repetitis circuitionibus, mammis crebrius offert. Eoque arterioſam harum, ut corporis univerſi, fabricam ad ſolito majorem etiam actuoſitatis gradum evehit. Num autem quaeſo ea pollet vi, qua lactis genetricem ibi provocet? Num forte, humorum copia provocet, in laxatas ex diſtenſione praegreſſa glandulas convecta? Conjectura haec, ingenioſa fateor, non minorem veri, quam auctoritatis, ſpeciem prae ſe fert. Exponitur enim in Medicina mechanica tam erudite ac eleganter, ut, veluti res demonſtrata, in animos facillime influat. Verum cum gravi multorum conſenſu comprobata ſit; fallere tamen, cuique, vim febris ſerio putanti, apparet. Nae lactea illa, ut quaeque univerſalis, totum ſolidorum, vaſorumque praeſertim, ſyſtema invadit. Eo, quo hoc percellit, modo rapidiorem quaquaverſum humoribus motum, circularem dictum, conflat. Praeter quem

D 2 haud

haud sciam, quod ullum, qui in unam potius, quam alteram, partem irruat, conflare possit (§. IX.). Idque peculiari quodam beneficio, quo nomen adeptum mereatur, afficere mammas. Neque, laxatis his an plus, quam aliis, tribuat faveatque organis, quemquam edocet. Nam laxiora in iis multa sunt, cordisque potentiae vel propius subdita, quorum actionem minime provehat. Quid? quod lactantibus, incepta feliciter ac continuata Galactopoiesi, saepenumero plane absit. Videtur ergo mammis non posse prae aliis ferre suppetias, nisi singulari prorsus actuositatis incitatione (§. XIII.) advocetur. Atque ferre tunc iis, non secus ac quaevis alia febris, in qua particularis quaedam fluidorum directio, a stimulo, alicubi haerente, producta, contingit. Similis quaedam ejus, sed violentior, haemorrhagiis, fluxionibus, ophthalmiis, tumoribus &c. subesse, persaepe deprehenditur.

§. XV.

Ad lac apte parandum suctio assidua mammis plurimum inservit. Solo quin iis sufficiat, silente prorsus uteri consensu (§. XIII.), nemo, ponderatis observationum allatarum momentis (§. X.), in dubium amplius vocabit. Neque id mirabitur valde, si quid & quantum actio illa oris voluntaria possit, secum reputaverit. Haec, celebrium Physicorum judicio, cum ea antliae pneumaticae perbelle comparari solet. Cujus appositaeque campanae vitreae vicem os externum internumque oppido pulchre gerit. Labia nempe, molliter arctata & porrecta paullo extrorsum, in

tubuli

tubuli quaſi formam, qua coeunt parte, ſe componunt. Eaque mammae papillam eminentem capiunt integram, includunt exacte, unaque cum apice linguae & gingivis anterioribus mediam commode ſuſtinent. Quibus ſic conſtitutis, ſugens e. g. infans, adducto veluti embolo, alluentem intus retrahit a vertice papillae aerem, ita ut ibi quandam vacui ſpeciem efficiat. Erumpit tunc ex eo in cavum os paratum lac, idque toties, quoties lactens minimis intervallis intermiſſam, ad ſatietatem usque, ſuctionem repetat. Quae eo dein expeditius cedit, quod preſſionem atmoſphaerae in ſuperficiem mammae aequabilem excipit. Adde demum praeſentem, quam praeſtat, papillae irritationem, qua ſeſſilem ſurgere, parvulam grandeſcere, ductulosque galactophoros ſecum extendere, ad faciliorem lactis emiſſionem, facit. Liquet hinc fortaſſe, quam egregie ei promovendae ſimplici ratione mechanica conveniat. Sed perfectiori multo reor non ejus emiſſionem ſolam, verum ipſam quoque generationem, amplectitur. Mammae ſanae ac vegetae admodum quidem irritabiles ſunt (§. XI. XII.); at maxime tamen papillae. Quae ſimulatque vel leniſſime tangantur, retractae prodeunt, extuberant mirifice & molles, membri virilis titillati fere inſtar, dureſcunt. In conſenſum facile, e quibus enaſcuntur, trahunt mammas, easque vigore ſenſuque ſuavitatis plane inexplicabili perfundunt. Quidni igitur actuoſitate neceſſaria & ad Galactopoieſin accommodata (§. VI.), ſimilique ejus, ab utero oriundae, animent? Obſequioſaene a ſtimulo impreſſos ſibi motus, tanquam ex uno manantes foco radios, quaquaverſum per illas ſpargunt? Re bene conſiderata, credere licet,

quod, aeque ac membrum, cieri aptae vi agant vitali, quae concitata, tanquam libido, se diffundat. Proinde exstimulata mammarum fabrica arteriosa (§. IX.), fieri omnino potest, haec ut non gignat modo, sed, continuo etiam vasorum ductu, lac eliminet.

§. XVI.

Expositae potentiae motrices, tam internae (§. XI. XIV.), quam externae (§. X. XV.), ad organa nostra galactopoietica pertinent. Eo, quo emergunt, loco, tempore, ordine ac moderamine singulari, definito Naturae usui perfecte respondent. Ecquid enim convenientius, quam primas ibi emergere, ubi, antequam lucem ingrediatur, foetus residet? Petereque inde seorsim mammas, ad otiantes officio suo, cui natae sunt, secretorio tempestive accommodandas? Non videtur igitur, id negotii ulli alii corporis muliebris parti, quam utero, rectius potuisse aequiusque committi. Qui, quem molli sinu suo continet, foetum dum edit, mammis quasi continuo tradit nutriendum. Quare etiam cum iis, muneris cognatione conjunctis, tam intime consentit, ac si proxime continuatus foret. Ad haec mutato violenter statu suo, eoque acrius lacessito systemate circulatorio, puerperis febrem lacteam (§. XIV.) creat. Cui an constrictus post partum, accumulata materie chylosa, ansam quoque, ut statuitur (*i*), praebeat, nihil disquirere hic attinet. Actioni laudatae uteri succedit acceditque auxilia-

(*i*) Ab Erud. L. Bikker. in Tract. cit. c. XV.

xiliatrix fuctio (§. XV.). Quae eo effe opportunior, quod ad infantem alendum unice fpectet (§. I.), fponte cognofcitur. Cumque percommode papillae, mobiliori accidat mammae parti, per totam fe efficaciffimam femper adhibet. Quibus confideratis, numquid opus fortaffe fit, ad Galactopoiefin revocare Plethoram, plane apparet. Haec apud multos, ut omnes inter conftat, Phyfiologos tantum valet, ut principis cauffae ejus locum obtineat. In quo quidem non a Veteribus modo, fed Recentioribus etiam, quorum venerere auctoritatem, fola fere poni folet. Eorum item ad fenfum, qui, exhibitis nuper disquifitionibus de generatione lactis &c., propofitum a Soc. Erudit. Harlem. praemium reportarunt, toti fe convertunt (*k*). Verum licet palam proferre, quod minime diffimulandum, doctrinam illam memorabilem ab obfervationibus, tum theoreticis, tum practicis, abhorrere. Etenim primum poft puerperium, cum lac maxime oritur (§. XIV.), mulierculae, effufis pleno quafi alveo lochiis, nulla re minus, quam fanguine, redundent. Cujus vel neceffariam fibi copiam deeffe, ipfae lactantes macro extenuatoque habitu fuo faepe teftantur. Aegrotantes deinde, quae, venae fectiones paffae largiores, haemorrhagias &c., nihilo fere fegnius pergunt parare lac, non raro occurrunt. Tum contingit porro, quod praeter alios (*l*) videre memini, ut, toto lactationis tempore, men-

(*k*) Cl. M. David. in Differt. gallice confcripta de Generat. lactis &c. Act. Harlem. P. VII. inferta. Erud. L. Bikker. in Tract. cit.

(*l*) Ortlob. oecon. part. p. 107. Harder. prodr. phyf. c. 10. E. N. C. Dec. I. a. 9. 10. obf. 9.

menſtrua aeque ac ante largiter edant. Poſt haec repetere oportet, eam eſſe ſuctionis vim, quae ſola, ut dicunt, mammas utriusque ſexus in actum deducere poſſit (§. XV.). An autem veri quaeſo ſimile, corpora illa, virilia ſint, vel feminina, ſanguinis redundantiam alere omnia? Vel ingenerare ſibi, priusquam caſu lactent fortuito? Poſtremo, miſſis pluribus, vix ac ne vix quidem intelligas, plethora, ſi qua admittatur, quomodo ad mammas perveniat. Neceſſe equidem eſt communi perveniat proxime arteriarum mammariarum ductu. Quae tamen nec ita ſitae, nec conformatae ſunt, ut vicinis aliis, vel remotis, cordis & aortae impulſui directius pateant. Contra quo rectiori ex ſubclavia & axillari angulo ad thoracem deſcendunt parvae; eo oſtiis ſuis fluenti curſum minus excipiunt. Quibus additis, quae in medium allata (§. IX. XV.); omnis ferme dubitatio evaneſcit.

§. XVII.

Arteriae mammariae (§. XVI.), actuoſiores (§. XIII. XIV. XV.), ex ſanguine, quem allectent copioſius, lac ſecernunt. In confeſſo eſt, quod veram, qua hoc in opere verſentur, rationem fabrica, diſtributione, ac incitatione mirabili ſua, contineant. Ad eam igitur indagandam, expedita quodammodo arte ſubtili via, accuratius jam perſequendae forent. Sed non convenit ſcopo noſtro, in amoeniſſimum ceteroquin rerum harum anatomicarum campum excurrere. Quem qui, duce Illuſtri B. S. Albino, Praeceptore & Promotore meo aeternum ſuſpiciendo, ingreſſi haud

haud dudum & fere emensi sunt, Commilitones eruditi Adenographiae specimina dederunt (*m*), L. hic merito commendanda. Ex iis luculenter patet, tantam esse structurae glandulosae subtilitatem, ut, licet studiosissime pervestigata sit, penitus erui nequeat. Ad secretionem quod attinet; haec omnem etiam ingenii humani perspicaciam effugere, plane demonstratur. Equidem pendet in primis procul dubio a motibus vitalibus, mirifice modificatis, quorum origo & forma abdite latent. Quod vero apertum, recte dum pergunt, ex massa sanguinea, ad mammas delata, lactis eliciunt materiem perficiuntque (§ V. n. VIII.). Materies isthaec chylus est, ex alimentis in primae coctionis officina paratus, & sanguini affusus atque commistus. Isque, feriantibus mammis, communi lege circumduci, ac in humorem illum purpureum virtute admirabili Naturae cummutari solet. In lactantibus autem iterato circuitu cum eo istas affluit glandulas, ut separatus paullatim in verum lac convertatur. A quo enim; communia quoad percurrit vasa, colore dilutiori, tenuitate, sapore &c. semper discrepat. Quare non simplicem tantum separationem, quasi percolaretur (*n*), sed mutationem notabilem in mammillis subit. Hae profecto tam mire composito fabrefactae artificio sunt, ut aeque, ac glandulae reliquae conglomeratae, salivales &c., organorum secretoriorum dignitatem sibi vendicent. Qua attente spectata, vix credo nega-

(*m*) Doctiss. D. FRUYTIER Dissert. de generat. lactis. J. G. LOCHER. Diss. de secretione glandular.

(*n*) Erud. L. BIKKER, in Tract. cit. p. 52.

negaveris, quod lac nectareum, tanquam fuccum fingularem, generent. Elaboratum itaque ab arteriolis minimis fecernentibus folito more in excernentes, canales nempe galactophoros, confeftim deducitur. Hi cum perquam tenues indolisque propemodum venofae fint; allatum continuatis recipiunt ramis, aliquamque diu, nifi abundent, morantur. Simulatque autem fuctione arrectis concientur papillis (§. XV.); fyftolici cujusdam motus affecti fpecie, acceptum tempeftive dimittunt (§. V. n. VIII.). Admotus quippe plerumque tunc infans eft, cui provido collectum confilio lac praebeant hauriendum.

§. XVIII.

Quibus fic cognitis, de functione mammarum fana fatis fortaffe nunc actum effe videtur. Eo enim, quod propofitum erat, contemplatio ejus perducta eft, ut ad pathologicam expofitionem noftram fcite conferri queat. Haec concinno, quo folet inftitui, ordine a *morbi notione* proficifcitur. Quae ut recte evolvatur, fecundum diverfitatem conditionum, quibus affectae mammae laborant, diftinctae quaedam fpecies conftituendae funt. Binae ex his praecipuae, quae plurimum a fe differunt, a lactis tum fecretione, tum fuctione, impedita (§. II.) manant. Prior, quae maxime hic fpectanda eft, in *actuofitatis memoratae* (§. VI. VII. VIII.) *defectu* confiftit. Qui pro varia, qua oritur, vi diverfum valde organorum fecretoriorum ftatum, a fano magis minusve remotum, contingit. Obferves nempe primum, quod ibi absque ulla fere alia, ac motus, ad Gala-

cto-

ctopoiesin intenti, mutatione innascatur. Nihil enim adversi, quod quidem sentiri possit, praeter ejus vacationem, lactenti forte soli quandoque illaetabilem, producit. Cujus hinc Naturae legi congruenter (§. I.) habita ratione, tantum morbi nomen obtinet. Accidit autem porro, ut eo, seu organico quodam partium, secretioni inservientium, vitio manifeste contrahatur. Quod, uti late patet, tam in firmis, quam fluidis, & utrisque simul, residere potest. Nimirum in firmis, ubi vel laxae nimis ac debiles, vel rigidae & effoetae, vel malo conformatae modo, constrictae vel occlusae, vel demum exesae & destructae, sunt. In fluidis vero, si vel deficiunt necessaria, quae chylo probe sint imbuta (§. XVII.), vel, qualicunque labe concepta, mammarum actionem eludunt. Multifariae hae diatheses, a sanis omnino alienae, veram, quem conficiunt, morbi faciem nobis quam diversissimam exhibent. Eamque, pluribus paucioribusve sinistro casu confluentibus, vel simpliciorem, vel magis compositam, reddere solent. Atque prout inter se multum discrepant, dissimilem etiam rationem tollendi actuositatem laudatam admittunt. Posterior species, quam impedita praebet suctio, in praeternaturali ductuum galactophororum constitutione sita est. Haec, vel ad inertiam & infirmitatem, vel angustationem nimiam ac complicationem, vel obstructionem coalitionemve, referri potest. Accedunt plerumque vitiatae mammarum papillae, quae nempe quocunque infortunio vel desunt plane (*o*), vel altius iis inhaerent, vel male habent. Quandoque

(*o*) Eph. N. C. Dec. II. a. 10. obs. III. Dec. III. a. 4. obs. CVII.

doque tamen vel ſolae, cum inflammatae, exulceratae, fiſſae, excoriatae, exaſperatae, eroſae &c. dolent, vel grandiores juſto exſtant (*p*), prohibent ſuctionem, aut aegre vix ferunt. Qua ita ceſſante, lactis accumulati vis adeo ſaepe increſcit, ut mammae inde diſtentae vehementer graventur.

§. XIX.

Morbus, generaliter deſcriptus (§. XVIII.), primo, quo diſtinctus eſt, ortu ſuo in *Idiopathicum* & *Sympathicum* dispeſci ſolet. Ille, qui talis proprie dicendus, mammis, iisque ſolis, proxime inſidet. Hic, veluti peregrinus, ex remotiori quavis corporis muliebris aegri ſede in eas quacunque via erumpit. Quique exinde mutato morbi primarii nomine, ſecundarius, ſeu ſymptoma potius, appellatur. Uterque inter ſe, non origine ſolum, ſed, quod praecipuum diſcrimen attinet, natura diſtat. Quae, animo bene perluſtrata (§. XVIII.), tam varia eſſe, ut plerasque, etiam oppoſitas, ſolidorum fluidorumque affectiones recipiat, cognoſcitur. Unde arbitror oppido magnam arguas cauſſarum diverſitatem, quam in ſe complectitur, ab Illuſtri Praeceptore aetatem percolendo H. D. Gaubio in Inſtit. pathol. med. §. 833. ſuccincte nervoſeque propoſitam. Ad eam ordinate proſequendam, convenit,

1°. Expendere cauſſas, quae, illaeſis cetera partibus, actuoſitatem praecellentem adimant;

II°.

(*p*) Eph. N. C. Dec. III. a. 1. obſ. III.

II°. Quae illarum potiſſimum organicam ſtructuram notato modo multiplici laedant;

III°. Quae humorum quantitatem qualitatemque requiſitam tollant.

§. XX.

Status mammarum morboſus (§. XVIII.), quem lactis defectus inſequitur, non, niſi ex cauſſis ſuis, recte perſpici poteſt. In quarum conſideratione ampliſſima, quae primum ſe offerunt, ſimpliciores ad imminuendam ſolum actuoſitatem pertinent. Uſu frequenter venit, ut lactantis, cujusque aetatis temperieique, mammae, modo ſuctio ceſſet, vel remiſſius fiat, ceſſent quoque lac parare. Aliae, quae veluti pigriores ſunt, deſiſtant tantum citius, tardius aliae. De quibus, cui ſponte videntur deſiſtere, aegri infantis mortem praenuntiare, vulgi fert opinio. Quae vero quam vana ſit fideique abſona, quisque puto, qui paullulum ſaltem advertat animum, facile percipiat. Namque ſi ponitur infans, & quidem gravius, aegrotare, quid evenit? Imbecillis, ſimulque ſaepe nauſeabundus, ſolitum vel nequit haurire alimentum, vel faſtidit. Quapropter, niſi forte alterius adhibeatur, ſuctio aſſidua aut intermitti, aut abrumpi, ſolet. Eaque deficiente, mammae, paullatim flacceſcentes, lactis minus minusque & denique amplius nihil ingenerant. Interea, creſcente fortuito morbi violentia, infans vita fungi poteſt. Sed, ut liquet, ea ſuperata, convaleſcere idem, ita ut ipſe tunc praeſagii falſitatem redarguat. De re igitur certe conſtat, cujus rationem ex dictis

 (§. XV.),

(§. XV.), confeqni licet. Suctio fane ftrenua atque frequens mammis neceffariam ad fufcipiendam profequendamque Galactopoiefin conciliare actuofitatem valet. Ubi nunc definit, haec, velut ablata cauffa irritante, fenfim fenfimque remittit. Organaque hinc illa, perinde ac quaevis alia, quorum motus ftimulis regatur, fubductis his, conquiefcunt. Vel fi forte illico non refidant otiofa, brevi tamen, levique utplurimum negotio, reprimi queunt. At minime credas, quod eo ftatim omnem prorfus, quam fuftineant, actionem deponant. Retinent utique repetuntque fibi commiffa, quam vocamus, vitalem moderatiorem, quaque, ut ante, uti pergunt (§. VI.). Non hujus eft loci, quae vel in nutrice (§. XVIII.), vel lactente, occurrant, fuctionis impedimenta recenfere. Neque conjunctam fubinde cum ejus ceffatione fubita fingularem matris, praefertim tenerioris, affectionem inquirere. Satis notaffe fuerit, quod haec, ingrata fi accidat, vel a naturali averfa, lactis proventum remorari, vel plane arcere, queat.

§. XXI.

Ea ergo mammarum vis, lactis genitrix, eft, ut nifi fingulis fere diebus citetur, fanis fponte excidat. Hoc pacto, praeclare conftituta fapienterque, & diu fervari integra, & tempeftive compefci, poteft. Sed, uti a naturalibus, ita etiam praeternaturalibus, cauffis, levioribus, gravioribusve, devinci. Etenim fubftantiam incolit organicam, ex qua, tanquam altrice & directrice fua, plurimum pendet. Ea hinc labefactata, abeffe nequit, quin fimi-

ſimiliter, ac phyſica quaeque vitalis, langueſcat, vel plane decedat. Eſt haec, ut apparet, ſic dicta organorum galactopoieticorum debilitas, de qua agitur. Omnis in ſolidam cadit fabricam illorum vaſculoſam, cujus proprium in contractionem niſum juſto exiliorem denotat. Duplex eſſe concipitur, nativa altera, altera adventitia. Illa, congenita, jam embryoni, vel foetui feminino, & haec nato, ac magis minusve adulto, obtingit. Multae & variae ſunt utriusque cauſſae, quae cum ex Pathologia, tum Praxi medica, conſtant. Operae pretium erit, crebriores quasdam, communi ex vitae uſu petitas, continuo nexu afferre. Non mirere admodum, quod tenuioris fortunae minus, quam amplioris, mulierculas occupent. Hae enim, quibus lauta exſtat culina, delicate maximam partem molliterque vivere ſolent. Pleraeque, vel multae, appetitui indulgendo libere, teneriores ſolum ſuavioresque cibos, parcius vel largius, capeſſunt. Ut parum ſubinde ſitiant; potionem tamen adhibent, eamque aquoſam praeſertim tepidam calidamve. Incluſae domi tantum non latent omnino, rariusque in publicum prodeunt. Exceptis levioribus exercitiis, membra tam parum movent, ut vitam ſolummodo ſedentariam ſequantur. Cujus cultrices interdum invitas laſſitudinis fugeret ſenſus, ſi quem ex ſomno longiori, vel ſeſſione, non perciperent. Debiles hinc, inito connubio, vel infoecundae ſunt, vel gravidae immaturos foetus, aut infantulos edunt imbecilles. Neque horum nutritione in utero lactationem peragant felicius. Quam enim, niſi detrectent, vel aegre, vel prorſus non, ſuſtinere queunt. Quandoquidem molliculae, quae nervorum infirmitatem accu-

accuſent, facta ſuctione paullo fortiori, motibus ſpasmodicis facile corripiuntur. Quin lactis etiam boni penuria, elapſo quodam a partu tempore, ſaepius laborant. Ejus equidem actione ſecretrice, debilitatis mammarum vaſis, materculas fungi poſſe, nemo ſibi unquam perſuaſerit. Idem nunc, quod illis, & ſanis quibuslibet, morbis violentioribus infirmatis, contingit. Exempla ſi quaeras, hyſtericae, leucophlegmaticae, hydropicae, atque febribus, vel acutis inflammatoriis, vel lentis, periodicis, ſaepe & diu conflictatae, praebent. Quae, ſimilesque plures, laxae compagis, plurimumque extenuatae, lacti generando non eſſe, experiuntur. Vires quippe corporis diminui exhauririque nequeunt, quin mammarum quoque defloreſcant & exſpirent.

§. XXII.

Syſtema galactopoieticum, contracta non ſolum debilitate (§. XXI.), ſed rigiditate etiam adverſa, torpeſcit. Etenim in confeſſum venit, appoſite quod agere non poſſit, ſi nimis, vel laxum, vel firmum, ſit. Hoc, pro inertia materiae tereſtris, qua aucta peccat, ab indole ſua irritabili ſemper degenerat. Torpidumque inde adeo evadit, ut naturalibus, quibus cieatur, ſtimulis (§. X.), haud amplius, vel aegre, reſpondeat. Quocirca, maximo ſane detrimento, una cum ſenſu vitali, animalis aemulo, actuoſitatem ſuam facilem ac expeditam amittit. Praeterea, ubi ex membranarum duritie rigidum exiſtit, ſolitos nec admittere, nec exſequi, motus poteſt. Ad quos obeundos

tale

tale quam ineptiſſimum eſſe, ex mechanices etiam principiis intelligas. Immobile ergo, vel minus juſto contractile, ad propellendos per ſubtiles plexus ſuos vaſculoſos humores minime pollet. Neque ſatis libere intus patet, ut commodum aequabilemque tranſitum iis concedat. Nam ut rigiditatem induit majorem minoremve, parte ſui fibroſa, vel membranacea, contrahit ſe magis minusve, & mutuum ad contactum adductis parietibus concreſcit, ita ut, vel fluidorum iter coarctet, vel claudat. Depravatum hujusmodi, idque vario gradu, quin torpeat vehementer, aut conquieſcat plane, non facile dubites. Perſpectum diu & cognitum eſt, ſexum quidem ſequiorem corporis firmitate a virili utplurimum longe abeſſe. Femininum enim tota habitudine ſua externa atque interna mollitudinem, glabritiem, candorem, verbo, teneritatem praefert ſingularem. Eamque non puellare tantum & juvenile, ſed aetate provectius, in ſe luce clarius meridiana oſtendit. Qua de cauſſa certe, ceteris paribus, non adeo eſſe rigiditati, ac maſculinum quodvis, obnoxium, bene advertunt periti. Verum licet, fateor, minus obnoxium ſit; poteſt tamen utique eam ſerius ocius nanciſci. Femellae profecto, pariter ac viri, varia ſaepe debent vitae ſubire incommoda, quae effugere non poſſint. In aere alias aſpero frigore, aeſtu alias ingente, moleſto verſari. Artus duris valde exercere laboribus, quibus neceſſarias ſibi res proſpiciant. Iisque exhauſtae cibis ſaepe crudis, aridis, lentis, auſteris & acribus, ſe ſuſtentare. Vigiles multa & opera & cura noctes haud paucas nonnunquam perducere. Atque prae-

ter haec omnia alias aliis graviores tolerare calamitates & aerumnas. Quae incommode duriterque ſic victitent, a ſtatu naturali ad rigidum & ſiccum fere deſciſcunt. Ex quo fit, ut vel ſteriles, vel minus foecundae ſint, ſique pariant, lacte deſtituantur.

§. XXIII.

Officinae lactis glanduloſae tam mutabiles ſunt, ut, praeter traditas torporis ſpecies (§. XX. XXI. XXII.), plures, magis minusve morboſas, concipiant. Ex quibus, quae hic ad rem conſiderandam attinet, ſolo etiam felici aetatis decurſu naſcitur. Clari annotant Anatomici, glandularum quarundam hoc proprium eſſe, ut ceteris partibus plurimis citius longe marceſcant. In corpore juniore ſano, incrementum adeptae ſuum, magnitudine juſta & forma emineant. Grandes hujusmodi carne rubella, molli, humida & vaſculoſa, egregium turgente in modum, praeditae ſint. Sed, exactis juvenilibus annis, gracileſcant paullatim, veluti tabe confectae, ſicceſcant & pene diſpereant. Quem marcorem, manifeſto Thymi &c. exemplo, trahant omnes, quae cui uſui ſint, haud facile, ſi unquam, detegas. Illae equidem conſpicuo, vel certo, quod ratio forte aperiat demonſtrarique poſſit, ſecretionis munere nequaquam funguntur. Affines iis & cognatae quodammodo, mammae, progreſſu aetatis longiori, etiam extenuari multum & abſumi videntur. Quae enim juvenibus pulchre exſtant eminulae, turgent atque vigent, exoletis ſubſident virginibus

&

& veluti deflorefcunt. Hocque femper deflorefcant magis, quod nec uteri (§. XII.), nec oris fugentis (§. XV.), vim ftimulatricem percipiant. Cujus alioqui beneficio conceptum plerumque vigorem fuum diutius continere folent. Annofae hinc virgines fi, mutata caelibe vita, jugalem aliquando fubeant, partus lactationisque negotio, vel matrimonii fine, non raro excidunt. Reperiuntur aliae, quae ad venuftam, quam gracilem vocant, formam fibi fingendam, pectus & abdomen arctiffimis compagibus includere folent. Eumque in finem factitios non folum inducere thoraces, fed, applicatis adftringentibus remediis, mammarum praefertim augmentum inhibere. Hae inde compreffae partim, partim conftrictae, juvenculis quandoque jam marcent, ita ut infantulorum fpem quafi fruftrentur. Quin ipfis demum materculis, poft nimis crebras diuque continuatas fuctiones, ante menftruationis terminum, concidunt haerentque flaccidae. Credibile tunc, quod, enervata vaforum fubftantia, virtutem irritabilem, tantum non omnem, exuerint. Quae anne iis perinde, ac genitalibus utriusque fexus, lapfu annorum libidinisque exceffu, evanefcat, fedulus quisque Naturae cultor noverit.

§. XXIV.

Inter ea, quae mammarum functionem faepe perturbant perimuntque integram, Animi affectus eminent. In quibus, oeconomiam animalem cum maxime concutiens, terror primum commemorandus eft. Hic, lactanti obortus gravior, Galactopoiefin totam continuo opprimere, quam

frequentiſſime obſervatur (*q*). Quin repentino natus ex tonitru vaccis etiam aliisque brutis, coeli inclementiae ſub dio expoſitis, ubera tam vehementer percellere, ut lac fere omne exhauriat. Ingens porro timor, moeror (*r*), horrorque ejusdem generis mala conficere, quibus lactatio aboleatur. Atque demum iſta curas acriores, ſollicitudines nimias, ſimilesque plures mentis afflictiones, conflare, crebrius experiuntur. Hae cum aliae aliis ſint graviores, non omnes & ſingulae aeque magna cum vi in corpus ſe effundunt. Quod equidem, priores inter relatus, terror tam dire plerumque convellit, ut, prae aliis vitae muniis, ſecretoria & excretoria ſaepenumero repente ſufflaminet. Etenim quam frequenter contingit, ut aequabilem manantium menſtruorum curſum inhibeat? Ut materiae perſpirabilis, ſalivae, urinae &c. evacuationem intercipiat? Ubi jam ſiniſtro eventu in mammas incidit, praeſentiſſimam inducit lactis ſuppreſſionem. Nimirum, ut alias ubique ſolet, ſyſtema illarum irrumpit vaſculoſum, tamque valide conſtringit, id ut injectis veluti vinculis exſolvere ſe nequeat. In quo ſtatu, qui a naturali longe recedit, vix ullos quandoque, praeter ſpasmodicos tremuloſque, motus praeſtare valet. Quibus tantum abeſt, ut humores ad ſecretionem afferat, ut intercludat pleroſque, cogat, niſuque adverſo repellat. Quid? quod, perſtrictis ſimul corde & arteriis, paucos modo, inaequalibus quaſi fluctibus irruentes, accipiat. Quocirca, vel dejecta prorſus, vel deminuta,

(*q*) Riedlini Lin. med. a°. 6. ſept. obſ. V.
(*r*) Wepferi Obſ. p. 43.

nuta, actuositate tantum non plane quiescit. Pari ferme modo, sed leviori, a reliquis Animi pathematibus nominatis affici solet. Obnoxium omnibus, potissimum fato singulari in lactantibus, aliud ex alio malum contrahit. Quae vero inde contrahat plura, ab intermissione actionis secretoriae diversa, non licet hic enumerare. Neque plures percurrere pathematam illorum effectus, qui lactis defectum pariant.

§. XXV.

Abolendae Galactopoiesеos potestatem, quae in Animi affectibus sita est (§. XXIV.), violentiores, quot quot sunt, stimuli corporei imitantur. Multijuges hi, ab acribus plurimum oriundi, exitiosam in corpore humano, & teneriore praesertim feminino (§. XXII.), ludunt tragoediam. Namque itritando illud, vel quovis modo alicubi lacessendo, excitant erethismum, in constrictiones inordinatas & validas saepe abeuntem. Quae ubi, quacunque ex ejus sede, sive interiori, sive exteriori, latius emanant, ad mammas evagari possunt. Correptis his, solemnes vasorum secretoriorum motus, vel distinent omnino, vel vehementer depravant. Non exiguus morborum numerus est, quos aut conficiant proxime, aut symptomatum more sequantur. In spasmodicis sic dictis omnibus, hystericis, colicis, asthmaticis, febrilibus, aliisque, magis minusve aperte se produnt. Ne atrociores memorem convulsivos, quibus subesse, & intima nonnunquam pervadere viscera, deprehenduntur. Hinc lactantes femellae, quae passioni-

bus iſtis affliĉtantur, laĉte vel omni carere, vel ſubito quandoque deſtitui, ſolent. Sed nunquam deſtitui noxa certiori, quam ſi conſtriĉtiones illae, vel ſimiles quaeque, non cito ſatis laxatae, pertinaces procreent obſtruĉtiones. Quibus coortis, adaĉtus fortiter & impaĉtus ſanguis in tumorem concreſcit inflammatorium. Qui, pro majori minorive extenſione ſua, vaſorum mammariorum plura pauciorave vicina urget undique, coarĉtat, ac comprimit. Ea, cum in ſuppurationem vertitur, diſtenta nimium, & continenti impetu rupta, aggeſto cum cruore colliqueſcunt. Exinde genito & tempeſtive eduĉto pure, coeunt rurſum, cohaerent integra, humoresque ſuos coercent. Verumtamen haud infrequenter tam inique coaleſcunt, ut minus, quam ante, pervia, vel male conformata, laĉti ſecernendo inepta evadant. Neque raro accidit, ut innumera, coalitionis optatae loco, diuturna exulceratione depaſcantur. Contra & infarĉta valde, & aĉtuoſitate exuta, immobili cum materie in durum, aſperum, & indolentem, ſcirrhum degenerant. Cui infelici caſu accedente forte phlegmone, acriori rodentis cancri ſaevitie exeſa prorſum tabeſcunt. Mammillae, horum uno alterove vitiorum obſeſſae, praeſentiſſimo damno, nutricem laĉtis generandi facultatem deperdunt. Eamque, etiamſi ſubinde conſaneſcunt, amiſſam ſemel, quidquid ars curatrix moliatur, vix unquam recuperant. Ex quibus liquet, anne etiam nimia laborare irritabilitate, & quasnam inde conſequi affeĉtiones, poſſint.

§. XXVI.

§. XXVI.

En jam, quam multiplex morbi ratio ſit, qui, commune ſymptoma, verum lactis defectum, inducat. Cauſſae ejus, quae percenſitae ſunt (§. XXI—XXV.), ad organicam potiſſimum mammarum actionem prohibendam pertinent. Earum aliae cum aliis interdum concurrunt, & exitiali quaedam nexu cohaerent, quo ſe invicem excipiant. Quin adjungere ſe etiam iis poſſunt, quae, requiſitam quantitatem qualitatemque humorum tollendo, Galactopoieſin impediunt (§. XIX. N°. III.). Manifeſtiſſimum hoc eſt, quod mammarum actuoſitas (§. IV.) in irritum cadat, ſi maſſa ſanguinea chylo deficiatur (§. XVII.). Solet autem tum defici, cum lactantes, vel longam tolerant inediam, vel cibo tantum duro aut nimis parco utuntur (§. XX.), vel primae digeſtionis ſuae organis languent. Illaetabiles hae vitae conditiones, praeter adverſitates varias miſeriasque, omnis fere generis morbos, tum acutos, tum chronicos, inſequuntur. Res anguſtae & calamitoſae, inediam quae afferant victumque aſperiorem, mortalium fortaſſe fugiunt neminem. Religioſa, vel ſacra, quae colant jejunia, nutrices, vel matres, ſi ullae, perpaucae ſunt. Evenit autem ſaepius, ut, laeſis graviter manducationis, aut deglutitionis, inſtrumentis, nihil, vel perparum, alimenti, poſſint ingerere. Complures, ob fractas, vel alteratas, vires coctrices, ingeſta, etiam facilia ad concoquendum, vincere nulla. Obſtructisque demum viis, ſeu intercluſis, neceſſariam chyli laudabilis copiam in ſanguinem non recipere. Aegrae tales, qualescunque ſint, vix lactis quidquam,

vel

vel ne minimum quidem, generare valent. Ea enim ſanguini, qui ceterum abundet, deeſt materies, ex qua alibile illud fluidum ſuaviſſimum generent. Neque hic indigentiae ſtatus diu unquam manet, quin mammae labefactatae deſinant eſſe actuoſae. Quae duplex noxa eſt, quam ex qualibet ſanguinis abductione, vel detractione, violenta quoque capiunt. Iſthaec primum, orta quavis immodica per vias, vel naturales, vel praeternaturales, evacuatione contingit. Hincque in diarrhoea, dyſenteria, diabete, ſudore, haemorrhagia quaque, & ulcerum humidorum fluxione diuturna, fieri cognoſcitur. Dolores porro, qui fixi, inflammatorii, aut acres ſunt, majori minorive cum impetu ſemper comitatur (s). Oſtendit ſe partium, iis affectarum, tenſione, intumeſcentia, colore mutato, pluribusque, quae edit, phoenomenis (§. XIII.). Uſu demum plerisque venit praegnantibus, quibus ſanguis ad uterum trahi dicitur (§. XII.). Flacceſcunt illis inde mammae, ita ut lactatione protinus abſiſtendum ſit. Verumtamen robuſtiores occurrant, quae ea, toto geſtationis tempore, ſine ullo fere incommodo, perſungantur.

§. XXVII.

Perveſtigatum hactenus eſt, praelucente Pathologia rationali (§. XIX.), unde, & quomodo, lactis defectus proveniat. Hic, ni fallor, a mammarum actuoſitate, vel minus ſtrenue excitata, vel multifariam oppreſſa atque confracta, dedu-

(s) R. a Castro de morb. mulier. L. IV. p. 583.

deducendus esse, plane perspicitur (§. XVIII.). Diagnosis ejus facilis, absque longiori indagine, erui inde hauririque potest. Defectus ille, si solus spectetur, indicia sui clara & perspicua cuique, leviter modo qui attendat, exhibet. Lac enim, spectabile fluidum, quod sanae affatim secernant, abesse nequit, quin lactantis pariter, ac sugentis, sensu id constet. Neque multiplex mammarum affectio, qua nata glandulosus iste liquor deficit, caussarum vim (§. XX-XXVI.) ponderanti, obscure apparet. Intermissa suctio (§. XX.), ablato uberibus infante, vel remoto, quovis consilio, aperta res est. Debilitas, Galactopoiesin sufflaminans (§. XXI.), tum ex mollitie ac teneritate corporis nimia, tum universali actionum languore, patet. Rigiditatem (§. XXII.), ei oppositam, siccior justo, constrictior rugosiorque utplurimum, habitus arguit. Evidentissima marcoris (§. XXIII.) signa mammarum parvitas praeternaturalis, gracilitas flacciditasque, praebent. Animi pathemata, sinistro oborta casu (§. XXIV.), ex ore ipso affectae, vel praesentium, cognosci possunt. Constrictiones spasmodicae, lactis remoratae proventum, e morbis, sibi conjunctis, vel praegressis, emergunt. Mammarum tumores, inflammationis, suppurationis &c. progenies, symptomata, quorumlibet propria, neminique fere ignota, indicant. Chyli defectus (§. XXVI.), incidentibus aerumnis malisque conspicuis, sese manifestat. Ejusque, cum sanguine aliorsum abrepti, insignia evacuationis cujusque, doloris, graviditatisque notis respondent. Diagnosis haec expedita ad Prognosin ducit, quae futurorum eventuum praedictiones complectitur. Defectus lactis (§. XVIII.),

in se consideratus, vix ullum, quod metuendum sit, discrimen portendit. Etenim, illaesa prorsus lactantis valetudine, sine alio, ac infantis damno, quod facili negotio sarciatur, accidere potest. Auxiliis Naturae & Artis tempestive adhibitis, quandoque etiam ex voto cedit. Sed, si gravioribus forte ex morbis, seu caussis, redundet, superari nequit. Hae autem quales sint, ex dictis, vel demonstrationibus practicis, elucescunt.

§. XXVIII.

Quod postremum praecipuumque est, Artis medicae munus ad abolitam Galactopoiesin instaurandam spectat. Oportet enim, cura, quanta possit, maxima, infantis saluti consulat, quae procul dubio felici corporis pusilli tenerique incremento continetur. Idque haud alio quidem ullo, quam alimento naturali, sive lacte humano, sanis exsucto uberibus, rectius obtineri, liquet (§. I.). Praeclara igitur eorum functio, si amissa sit, oeconomiae muliebri ut restituatur, plurimum requirit. Verum, quod sponte advertas, restitui in integrum nequit, nisi cognita, quae adsint, secretionis impedimenta (§. XXVII.) tollantur. Quorum quaedam oppido exigua, alia tantum majori, nonnullaque ne maxima quidem, opera tuto expediri possunt. Ea inter, quae prioris generis sunt, suctio neglecta, vel quocunque casu intermissa, habetur. Haec, modo non nimis diu intercepta sit, alacri si ore repetatur, organa galactopoietica ad pristinam actuositatem revocat (§. XV.). Frictio lenis fotusque blandus & tepidus (§. X.), per aliquot con-

tinuatus dies, egregie ſimul juvat. Ubi porro ex debilitate ſola ab opere ceſſant mammae, non praeſentius auxilium, quam in victu laudabili, conſtitutum eſt. Ad quem alimenta eupepta & euchyma, juſcula ſcilicet carnium, lacticinia, ova ſorbila, panatellae & ptiſanae pertinent. Motus corporis moderatos in aere temperato, Animique affectiones laetabiles, condimenti loco iis addere, prae ceteris mirifice expedit. Quibus legitime diſpoſitis, uſu non ſpernendo quoque remedia analeptica & cardiaca (*t*), humorum curſum caloremque vitalem ſuſcitantia, ſe commendant. Haec nutrimentis laudatis decoctione, infuſione, vel alia, quae placeat, forma probe juncta, effectus edunt praeſtantiſſimos. Atque ſimplex hujusmodi curatio, ſcienter adhibita, ſi evacuationes etiam largiores praeceſſerint, ex ſententia plerumque ſuccedit. Sed denique cum graves exiſtunt mammarum morbi, ſive idiopathici, ſive ſympathici; omnibus & ſingulis accommodatae indicationes therapeuticae aegris ſanabilibus, niſi Galactopoieſeos, integrae ſanitatis certe, reſtaurationem optatam promittunt.

(*t*) Cl. H. Boerhaavii Inſt. Med. §. 1095. & ſeq.

